



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola XXXII. Innocentii Papae I. Ad Ioannem Hierosolymitanvm
Episcopvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

nutriendæ seditionis animatus. Quod ne in magnam aliquam generis humani perniciem recrudescat, vota facienda sunt, vt ad humanas prolapsiones patiens Deus rem male gestam prosperet ac secundet. Nam quantum in nobis est, possumus timere quod gestum est, quantum ad pietatem semper placabilis Dei non erit meriti impunitas indulta, sed venia.

EPISTOLA XXXII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD IOANNEM HIEROSOLYMITANVM EPISCOPVM.

Cum Joannes Hierosolymorum episcopus Origenis errores sequeretur, Hieronymus apud Bethlehem degens, aliquique permulti ab eius communiōne abstinebant. Quamobrem Ioannis opera multis affecti sunt malis, de quibus Eustochium & Paula apud Innocentium pontificem conquesata sunt, malorum auctorem & causam reticentes: propterea Ioanni Innocentius scribit, ut diligenter ecclesia sue prospiciat, & istiusmodi mala corrigat.

S. Hieron.
in epist. 61.
ad Pam-
mach.

DIREPTIONES, cædes, incendia, omne facinus extrema dementiæ, generosissimæ sanctæ virgines Eustochium & Paula deplorauerunt in locis ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum: nomen enim hominis, causamque reticuerunt. Quod etsi ambiguum non sit a quo commissum, oportuit tamen custodire germanitatem tuam, & gregi illius sollicitius prouidere, ne quid huiusmodi oriatur, quod cum aliorum periculo tua lacepsit negligencia amittere gregem Domini, & tales agnas incendio, armis & persecutionibus nudas, debiles, post suorum cædes & mortes vix viuere audiuimus: nihil mouet pietatem illam sacerdotii tui de tanta diaboli in te atque in tuos potestate admissa: in te inquam: prorsus enim sacerdotis grauitatem condemnat tantum nefas in ecclesia fuisse completum. Vbi prouisiones tuæ? vbi certe, si casus euenerant, auxilia vel consolationes? cum plus se adhuc metuere dicant, quam conqueruntur esse perpeſſas, altius censerem, si effent aliiquid de hac re mecum apertius collocutæ. Vide, frater, antiqui hostis infidias, & spiritu boni rectoris peruigila, vt hæc, quæ ad nos opinione magis quam accusatione manifesta delata sunt,

vel corrigantur, vel retundantur; ne ius ecclesiasticum de labefactatis causis eum qui non defenderit, præstare compellat.

EPISTOLA XXXIII.
INNOCENTII PAPÆ I.

Hieronymum consolatur ob mala quæ perpessus fuerat, ac Ioanni Hierosolymorum episcopo ait se scripsisse, ut prouideat, ne deinceps in sua ecclesia hæc contingant.

Dilectissimo filio Hieronymo presbytero, Innocentius.

NVNQVAM boni aliquid contentionem fecisse in ecclæsia testatur Apostolus, & ideo hæreticorum correptiones primum fieri iubet, magisque diuturna duci collatione. Quæ regula dum negligenter aspicitur, malum non vitatur, quod cauendum est, sed augetur. Tamen quoniam dolor gemitusque tuus ita quatit viscera nostra, vt ratio non tractandi consulendique sit: primum constantiæ tuæ alloquor fidem. pro veritate quisque iniuria, aut (vt dicis) periculo percelletur, qui expectat beatitudinem, multis sæpe narrastis, & tuæ verbis prædicationis bene memorem commonemus. Itaque excitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem sedis apostolicæ ad omne comprimentum nefas festinauimus; sed in quem insurgeremus, nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus, condolemus. Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut iudices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitusque nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime: tamen episcopo fratri meo Ioanni scripsi, ut circumspiciens agat, ne quid circa ecclesiam sibi creditam adhuc tale aliquid fiat, quale præuidere, & propellere ne accideret, vel ne accidat, etiam ipsi sit & postea molestissimum.